



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

**LXXXIX.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

Gazariæ per loca Bulgariæ cum Trebello usque ad regiam urbem veniens regnum proprium, unde electus fuerat, adeptus est. Leonem quoq; & Tiberium, qui locum eius usurpauerant, cepit, & in medio circi coram omni populo iugulari fecit. Porro tomos quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memorie Romam direxerat, in quibus diuersa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria inerant, per duos Metropolitanos Episcopos transmisit adiurans, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæ euulsa essent stabiliret, quæ verò aduersa renuendo cassaret. Sed hic humana fragilitate timidus hos nequaquam emendans Principi retransmisit, postq; non diu in hac vita perdurauit, sed defunctus appositus est ad patres suos. Et cessauit Episcopatus mensibus 3.

## LXXXIX.

**S**I N N I V S, natione Syrus, patre Ioanne, sedit dies 20. Qui vir podagrico ac chiragrico humore ita detinebatur astrictus, ut sibi propriis manibus cibum exhibere non valeret. Unde repentina morte defunctus est. Et cessauit Episcopatus mesem 1. dies 28.

## XC.

**C**O N S T A N T I N V S, natione Syrus, patre Ioanne, sedit annis 7. diebus 15. mitissimus valde. Cuius temporibus in urbe Roma facta est fames magna per annos tres, quam secuta est tanta vbertas, ut fertilitatis copia sterilitatis inopiam obliuioni manda-ret. Hic ordinavit Felicem Archiepiscopum Rauennatem, qui secundum priorum suorum consuetudinem noluit facere cautio-nes, sed per potentiam iudicium exposuit, ut voluit. Quapropter mittens Iustinianus Imperator Theodorum Patritium & primum exercitus insulæ Siciliæ cum classe Rauennam cepit, prefatum Archiepiscopum arrogantem in naui vincitum tenuit, lumine oculorum priuauit, in exilium trans Pontum misit, & omnes rebelles, quos ibi repperit, compedibus strinxit, diuitias eorum abstulit, & Constantinopolim misit. Tunc etiam sacra Imperatoris iussus est prefatus Constantinus Pontifex regiam ascendere urbem, quod & fecit die 5. mensis Octobris inductione 9. Secuti autem sunt eum Niceta Episcopus de sylua Candida, Georgius Episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius presbyteri, Gregorius diaconus, Georgius secundicerius, Ioannes defensorū primus, Cosmas facellarius, Sisinnius nomenclator, Sergius scrianiarius, Dorotheus